

1083

*Veneti Duce  
Silvio a  
Normanis  
non procul  
Dyrachio  
victi.*

se. Dyrachini ditione facta tum demum in hostium potestate venere. Nec ita multo post in Alexii gratiam Veneti in Normanos moverunt: eodem ferme loco ubi prius, sed longe alio eventu pugna commissa est: victi quidem adeo insignem cladem Veneti accepere, ut ex numerosa classe, quam eo Silvius duxerat (quia alii mediis aquis cæsi, alii capti essent) paucissimi evasisse dicantur. Peperit ea res ingentem Principi invidiam: quapropter populus eum in patriam reversum, anno ex quo Rempublicam administrare cœperat tertiodecimo, summa dignitate privavit. Patentur quidam, Græcos ac Venetos ante portum Dyrachii victos, at non eam cladem quam diximus acceptam, sed cruenta hinc inde acie dimicatum. Cæterum, ubi res Normanica superior esse cœpisset, tum ad lœvam Alexium flexisse fugam, atque in Peloponnesum abiisse: Silvium ad dextram fugientem Venetum tenuisse littus. Negant ad hæc, illum publica administratio ne privatum, sed secundo, vel, ut alii tradunt, tertio & vicesimo \* sui Principatus anno fæliciter diem obiisse, honorificentissimeque in Divi Marci æde sepultum.

*Silvii depo-  
sito.*

1084

\* legendum:  
tertio & de-  
cimo.

*Succedit Vi-  
talis Phale-  
rius.*

Post Silvii obitum Vitalis Phalerius Dux suffragio populi creatur. Prima hujus actio non magis decora, quam utilis Reipublicæ fuit: continuo ubi Princeps est declaratus, cum populo egit, ut legati Constantinopolim ad Alexium mitterentur, a quo peterent, ut Dalmatiæ Croaciæque Imperium, quas provincias latronum manibus extorsissent, suasque jure belli fecissent, Veneto nomini perpetuo concederet. Apparebat ob recentia Venetorum in eum merita id Alexium non gravate facturum. Decreta legatio: missi Dominicus Dandulus, Andreas Michael, Jacobus Aurius: apud quosdam pro Dominico, Andrea & Jacobo, Cianum, Vitalem, & Antonium reperio. Omnia ab Alexio benigne concessa, atque jam inde factum, ut Dalmatiam Croaciamque legitimo Veneti possederint imperio: Phaleriusque omnium primus, ut quidam annales habent, earum Dux provincialium cœpit inscribi. Circa Dyrachium per hæc quoque tempora a Græcis Venetisque Phalerii ductu adversus Guiscardum, nec meliore eventu, quam antea Silvio Duce, pugnatum reperio.

Henri-